

He 30, a



6

ORATIO
DE INUNDATI-
onibus, imprimis illâ,

quæ Anno M. DC. LI.
post Vernum Æquinoctium
circa Elbingam in Prusfiâ
contigit.

Excusa ELBINGÆ, Typis CORELLIANIS.
ANNO M. DC. LI.

MAGNIFICIS & NOBILISSIMIS
DOMINIS

SIGISMUNDO MEIENREIS,
BURGGRABIO, PRÆSIDI, & PRO-
TOSCHOLARCHÆ.

MICHAELI SIVERTO, PRÆ-
CONSVLI & VICE-PRÆSIDI,

THOMÆ HESIO, PRÆCON-
SVLI & SCHOLARCHÆ.

JSRAELI HOPPIO, PRÆ-
CONSVLI.

nec non

NOBILISS: & AMPLISSIMIS

MICHAELI HELVINGIO.
DANIELI MEIENREIS.

Cofs. & Ærarij Civitatis Curatoribus:

*Quorum omnium regimen ac sollicitudinem
hæc inundatio præcipuè exercuit;*

Orationem istam

In Calamitatis publicæ memoriam

rogatu quorundam

expressam,

dicat, consecrat,

*De Diluvijs in universum brevi, ut sperat, appendicem
additurus*

J. PASTORIUS, D.



MAGNIFICI PRÆCONSULES,

CONSULES AMPLISSIMI,

Vosq; Cæteri omnium Ordinum Audi-
tores longè gratissimi,



Itam hominum coele-
ste Numen non angustis tan-
tùm terminis circumscri-
ptam, sed & multis mutati-
onibus obnoxiam esse, mini-
mèq; eodem rerum secunda-
rum adversarumvè tenore
defluere voluit. Alternis eam fortunæ vicibus mi-
scuit, & ceu navem in alto velificantem, nunc læ-
to cursu ac velut ventis ferentibus in vehi; nunc
inter læva tempestatum fluctuare jussit. Iam natu-
ræ quidem nostræ si standum esset arbitrio, magis
utiq; ei immota & continua placeret felicitas. Si
tamen rem introspeciamus rectiùs, benè illi con-
sultitur hâc variantium successuum mixturâ. Nam
perpetuo prosperitatis fluxu facilè in desidiam, lu-
xum, superbiam, solveremur; malis verò sine in-

A

terstitio

terstitio dato incumbenribus non sufficeremus
tandem mortales. Quippè ut lascivire inter for-
tunæ jugiter quasi adulantis obsequia imbecillitas
humana solet: ita frangitur eadem, ubi cum du-
ris assiduò colliditur. Coeterùm cum utriq; for-
ti obnoxios nos fecerit Divina potestas, adversus
utrumq; etiam excubare, & certis fulcris subsidi-
isq; succinctos stare nos voluit munitosq;. Ac in
secundis quidem tantò cautiores nos esse jussit,
quò magis in ijs nos nobis sapè permittit; satis sci-
licet benignè agere visa, quòd felicitatem largita,
rectum duntaxat usum ejus à nobis exegit. Quòd
si ergò tum nec ipsimet satis advigilamus nobis,
nec divinam ritè advocamus custodiam atq; o-
pem, non possumus utiq; nisi titubare in illo lubri-
co prosperitatis. Mentis enim ipsæ plerumq; ob-
ruuntur soporanturq; rebus ad votum fluentibus;
& inebriamur facillimè homines illo quasi mero
continua, ac acerbitate nullâ interpellatæ volu-
ptatis. O quanto salubrior hæc est, cum di-
luitur, cum acor ei aliquis intermiscetur! Quòd
si fati indulgentia durius quid nolit interpone-
re, saltem metum mutationis addi utile est
felicitati. Minus quisq; insolescet bonis suis,
cum facilè perdi ea posse, subindè meminerit.
Et si mutatio ingruat, faciliùs à se dimittet,
quæ

quæ non aliter, quàm ut dimittenda, semper habuit: quibusq; adeò nunquam animum affixit. Mollius cadit, qui ad casum se præparavit. At tristis est eorum ruina, quos non opinantes oppressit. Gravis accidit infelicitas, cum accidit inexpectata. Vix solatio locus est, cum ijs tergum fortuna obvertit, qui non nisi lætæ ejus faciei insuevêres; contremiscunt mutatâ illâ, quibus mutabilem esse, pensi non fuit. Molestâ deinde talibus est prioris fortunæ recordatio: mallent propè nunquam fuisse felices, ne esse desiissent: mallent letheo aliquo poculo oblivionem sibi pristinæ felicitatis inducere posse. At qui contra bonis malisq; rebus exerciti in alterutrâ fortunâ utramq; cogitârunt, immotistant, quamcunq; experiantur: virescunt vel in ipsis calamitatibus, inter ruinas suas erigunt se spe meliorum; & cum emergere, tanto impensius gaudent, & illis perpetuò felicibus longè hilariores, Ipsas quas pertulêre misérias vertunt sibi in lætitiæ argumentum. Est enim dulcis profectò actorum laborum recordatio. Iucundum est meminisse, quæ durum fuit pati. Nunquam sincerius gaudet nauta, quàm ubi scisso velo & hauriente jam undas nave portum obtinuit. Nunquam lætius exul-

tat miles, quàm cum ex densissimis jaculorum
nimbis integer evasit. Hilaris sanè tum sudo-
rem deterget, lætus pulverem excutit, exultans
telorum ictus, quos excepit, enumerat. Non fuit
illi tam gravis periculorum, cum incumberent,
sensus, quàm nunc dulcis est eorum, cum tran-
sière, memoria. Tanti ei esse gaudium, quod
percipit, videtur, ut id vili sibi emisse putet,
etiam cum carissimè emit. Ita calamitate sibi
suà placet; hæc & læticiæ illi ingens stimulus
est, & facundiæ foecunda materies. Luben-
ter enim loquimur non ea tantùm, quæ egimus,
sed etiam, quæ passi sumus: & excusatiùs hæc,
quàm illa; quòd illa invidiam, hæc misratio-
nem accendunt: illis obrui, his instrui se cre-
dunt, qui audiunt. Sed & DEO debitum officium
est, hilari mente recolere pericula, è quibus
quisq; benignitate illius servatus sit. Ingratus
est, qui hinc tacet; malè æstimat beneficium, quo
non lætatur. Quin relinqui in miserià dignus
fuit, qui ereptus non molitur gratias. Qua-
propter nobis nunc nemo vertet vitio; si gau-
demus, quanquam nondum calamitate, tamen
periculo defuncti: Si & DEO, qui superare
nos discrimen voluit, & volet porrò, ut spera-
mus, jacturam superare, grates exsolvimus.
Quod

Quod quò quisq; secum & alacrius & uberius
faciat, age mali nostri, quantum ejus hætenus
intelligere nobis contigit, historiam adumbra-
tione qualicunq; oculis subjiciamus: porroq;
hinc velut impetu sumpto, in hoc inundatio-
num æquor paulò altius invehamur; ac quæ de
iis veteres recentesq; historiæ suggerunt, com-
pendio promamus.

Magni maris fluviorumq; is est genius, ut
accolas suos ingentibus plerumq; & commodis
maçtent, & incommodis. Ex illis enim agri
foecundum humorem hauriunt, ex illis piscium
copia, ex illis pascuorum ubertas, & hinc por-
rò largus lacticiniorum redundat proventus. De-
niq;, quod potissimum & ad publicam utilita-
tem fructuosissimum habetur, hæc commercio-
rum instrumenta sunt: his invehitur aliundè,
si quid terræ cuiquam deest, his evehitur, si quid
superest. Hinc ferè locupletissimas provincia-
rum, hinc & Vrbes frequentatissimas illas vide-
mus, quæ mari fluminibusvè adsitæ, aut ab ijs
non longè remotæ sunt. Rariùs sanè emer-
gunt, quibus ejusmodi aquarum opportunitates
non contigère. Enimverò uti magna sunt emo-
lumenta, quibus aquæ beant terras; ita ingen-
tibus quoq; easdem detrimentis mulçtant, ubi
A 3 præscri-

præscriptos à naturâ terminos egrediuntur. Cujus rei, si uspiam alias, hoc certè tempore conspicua & luctuosa maximè Europa nostra habuit experimenta. Nulla propè Provincia est, ubi non aut littora sua Oceanus, aut ripas flumina maximo cum accolarum damno excesserint. Queritur Italia non Tyberis tantùm sui aut Padi eluvia; sed & Insulam integram pelago absorptam dolet, Gallia Sequanam, Germania Danubium, Rhenum, Albim, ripis suis violentissimè effusos vidit. Belgium revulsa Oceani claustra sensit, & agris, quos magno multorum annorum molimine exsiccaverat, vi tempestatum demersis ingemiscit. Cum sic potentissimas Europæ regiones pervagata esset hæc Calamitas, nostras quoq; oras tandem corripuit. Prælusere huic malo æstate superiori, Poloniæ flumina: nam & tum locis compluribus vi inexpectatâ se injecerant. Sed minæ illæ fuere majoris mali. Immanior longè tempestas est, quæ nunc terris hisce incubuit. Neq; enim illos tantùm fundos aquæ oppressere, in quarum apertum depressumvè solum jus quasi quoddam suum illæ habent exercentq; , sed scilicet ingentes aggeres, & immanes molium obices dejecere. Luctuosa admodum atq; acerba sunt,

sunt, quæ de factâ circa Thorunium, Grudentum, Mariæverderam, ingente hominum, pecudum, domuum, villarumq; strage tristis fama jam pridem memorat nobis. Sed & famam anteivit, & parùm creditam firmavit ipse fluvius, cum plurima ex illis locis quasi spolia abrepta in viciniam nostram turgente detulit tergo; & hîc illic littoribus impegit. Aliquos hominum crustis glacialibus vectos, & tandem submersos, aliquos etiam casu mirabili ad ripam vivos expositos accepimus. Verùm edita illis in locis aquarum facinora nondum nos hîc accuratè scimus; & nihil dum omninò de illis inaudieramus, cum ipsos nos quoq; diram benefici alioquin fluminis vim sentire inclemens & iratum flagitijs nostris cœlum voluit. Paucis abhinc, ut nostis, passuum millibus Vistula, nobilis ille Sarmatiæ nostræ Pactolus, & multarum Orbis partium nutritius, in duos amnes dividitur; quorum alter binis iterum brachijs dispertitus, lævo Gedanum, nobilissimum Septentrionis Emporium; dextro Neringam Gedanensium Insulam præterfluit: alter Nogathi (quasi pedis) assumpto nomine Mariæburgum & Elbingæ huic nostræ subjectos agros prætervectus, à Lacu, maris Balthici vestibulo, exsorbetur. Uterq; amnis
alveum.

alveum suum egressus, circumcirca vastissimam,
accipiendisq; aquis valde acclivem, quippe to-
tam olim, ut traditur, mari occupatam planitiem,
ad ipsos usq;, qui ex utroq; latere imminent,
montes, infræni licentiâ inundare consueverat;
donec magnorum objectu aggerum cohiberetur.
Hos uti ductu multiplice, impendijs sanè maxi-
mis, labor incolarum longè extendit; ita curâ
ac sollicitudine non modicâ tuetur idem ac con-
servat. Subindè enim cum his obstaculis lueta-
tur fluvius, & libertatem suam ejusmodi velut
vinculis constringi indignatus, mordet frænos,
& partim subedit arroditq; vi occultâ; partim
impetu undarum tentat obstantes moles; inpri-
mis, ubi nivium liqvatarum, aut ruentium de
montibus imbrium torrentiumvè accessu super-
bior incessit. Ad eum modum invasit ille nu-
perrimè subjectum Mariæburgensi ditioni, nobis
verò vicinum aggerem, & non procul à Traje-
ctu, qui Clementis vulgò vocatur, perrupit, ac
quod dicere mens refugit, dejecit magnam ejus
partem. Hac se ingens aquarum vis in agros,
quibus vallum scilicet ac propugnaculum suum
perierat, infudit, agricolarum proximis, quibus
ea aggeris pars sublestior semper & periculo ma-
gis obnoxia visa est, aliquandiu eqvidem cespi-
tum

tum, moliumq; aggestu, aqvas altitudine, impetu, glacie formidabiles avertere (an eo, quo decebat, numero, viderint ipsi) conatis. Sed cum vincere humanam industriam indomitum fluminis robur videretur, deserere illi tentatam frustra tutelam, sibiq; consulere necesse habuerunt, ne juxta cum aggere perirent. Vespera igitur, quæ vigesimam septimam Martij diem antecedebat, appetente, domum se illi, re, cui impares essent, fato commissâ, quàm quisq; posset celerrimè recepere, aqvas mox secuturas tristi omnes animo vultuq; respectantes. Quæ & paulò post incredibili cum fremitu irrupere; & tum aggerem ipsum evictum, tum ingentem vim glaciei vehentes, proxima camporum in ijsq; villas & pagos brevi temporis intervallo compleverunt. Multos securos, alios non securos quidem, sed quid facerent, ac quomodo sibi consulerent, ignaros deprehendit calamitas. Nullus omnibus tutior aut expeditior videbatur receptus, quàm ut in summa ædium confugerent. Quò & illicò se & quicquid corripere possent, subduxere. Multis ad evadendum discrimen tantillum quidem temporis datum est, quantum ad solvendum à præsepì jumentum requiretur. Unde postea equi juxta cum præsepibus
ad B natate

natare visi sunt: & plurimæ boves circa præsepe
suum exanimatæ jacuere. Quosdam agrestium,
cum ædes suas integras aquæ impetu provolvi
sentirent, crustis glacialibus se committere ne-
cessitas subegit. Quos à tam fragili & pericu-
loso vehiculo vix demum proximorum contos
lembosq; suppeditantium, miseratio liberavit.
Certè adhuc inter manus Chirurgicas versantur,
quibus tristi ejusmodi vehiculo insidentibus ali-
arum insipientium crustarum pondus ac violen-
tia miserrimis modis corpus concussit. Nobis
in Urbem nocte propè concubiâ primus rupti
aggeris allatus est nuncius; & simul mox, quæ
nunciorum ferè celeritatem æqvabant, undæ
præsultrices advolvebantur. Illicò & hominum,
pecora sua in urbem agentium apparebat mul-
titude. In Urbe Cives de agris prædijsq; suis
solliciti prospectabant illinc suos, alij, simul ut
diluxerat, obviam ijs ibant mittebantvè. Inte-
rim alluens Urbem fluvius intumescebat magis
ac magis: simul aquæ è Nogatho irruentes per
aperta camporum latiùs latiùsq; extendebantur:
donec die altero tertiovè omnem circumjacen-
tem planitiem, vastam sanè & quæ bidui iti-
nere vix possit ambiri, undiqvaq; operuere. Ita
ut postea de mœnibus prospicientes novum no-
bis

bis Oceanum videremur intueri. Rusticæ do-
mus nonnisi summis ferè culminibus extrà undas
emicabant. Quæ in altius fastigium eductæ
erant, vix mediâ sui parte tutæ, quâ maximè
hactenus habitatæ fuerant, irruentes jam omni-
bus ostijs & rimis hauserunt aqvas. Et in ea-
rum tamen supremis tabulatis passim ferè pa-
tres-familiarum cum suis hærebant, aqvis undiq;
circumsonantibus cincti, pascuorum, segetum,
horreorum, supellectilium, ædium pessundata-
rum tristes spectatores; inter infantium ejulatûs,
fæminarum lamenta, armentorum sub iisdem
cum hero tignis stabulantium boatûs, altè du-
centes suspiria, & eadem hæc, ne cæteris tene-
rioribus dolorem augerent, identidem etiam
intra se devorantes. Ne quid malorum deef-
set, aër insuper asperrimâ inhorruerat facie; ni-
vium desuper præcipitantium densitate cœli
propè conspectum auferente, & ventis porrò
miseros illos in summis ædibus sine foco agentes
acerbè flagellantibus. Multis etiam super aë-
ris & aqvæ tristes susurros, internum tandem
stomachi atq; intestinorum murmur ac latratum
fames, quæ in frigido habitantibus plerumq;
acrior est, ciebat. Haud paucis enim non vaca-
verat in tam subito discrimine alimenta, qui-

bus se & familiam satiarent, sub ædium culmen deportare. In nonnullorum etiam domibus parùm panis vel cibi parati reppererat calamitas, quia inexpectata scilicet & de futuro parùm sollicitis, de plagâ utiq; tali minimùm cogitantibus supervenerat. Unde postea, cùm protraheretur malum, grandius ferè ab inopiâ victus quàm ab aquis ipsis fuerat periculum, nisi providâ Amplissimi Magistratûs curâ, alimenta ijs fuissent submissa. Sed is scilicet, quanquam, crescentibus in horas undis, & jam Urbi magis magisq; insultantibus, satis habebat, ubi curas distringeret, non Urbis tamen hujus pomærijs cludi sollicitudinem suam passus est. Longiùs misit oculos, & ad miseros illos ruricolos, tametsi multis aquis & velut mari quodam disclusos, propitias manus extendit. Ejus jussu ibant assiduò lembi variæ magnitudinis, egentibus præsidia vitæ ferentes, ijdemq; redeuntes, plurimos hominum, quibus aquæ circumstagnantes terro-ri aut fastidio erant, (nam aliqui etiam sponte istic mansere) in Urbem devehebant. Multos dies triste hoc advenientium nos hic tenuit spectaculum. Hic illic varij generis, omnisq; ætatis hominum, brutorumq; miserabile exponebatur agmen. Inter alia puerperæ adductæ sunt, quibus

quibus sub hanc ipsam tempestatem, importunum profectò pariendi tempus, onus suum deponere contigerat. Navigandum tum infelicibus istis sub Iove frigido fuit, cum vix partus doloribus solutæ essent, navigandum infantibus, cum vix secundinas suas rupissent. Incolumes nihilominus huc venere, & quanquam parum delicatis tum exceptæ fomentis matres, tamen cum foetibus suis, qui hic postea sacri fontis aquâ abluti sunt, superstites vivunt: & duplex scilicet discrimen, DEO dante, eluctatas se gaudent, nobis documento existentes, quantum homines, etiam imbellis sequiorisq; sexus ferre possint, cum necessitas exuere mollitiem jubet.

Coeterum servandæ quidem, ut diximus, hominum vitæ, ferendoq; , prout res exigeret, auxilio, non de die tantum, sed distributis inter se operis, noctu etiam excubabat Amplissimus Magistratus. At prolixæ ejus sollicitudini non suppetebat par copia cymbarum. Tanta servandorum multitudo erat, ut minimè ei responderet numerus, quanquam non modicus aderat, navigiorum. Unde ingens subindè circa ista conspeximus certamen. Prece, pretio, sæpè & convicio pugnabatur, dum quisq; se & sua, ut fieri

B 3

solet,

solet, præhaberi cupit alienis. Stabant ubiq̃s
ad portas, qui vel cognatos, vel amicos in agris
eluvione obrutis habebant, suspirantes, & opem
neqṽicqṽam cupientes ferre.

Vidimus aliquos, qui cùm trajecissent ipsi,
propè optabant non trajecisse, nisi quæ domi re-
liquissent, in Urbem pariter viderent delata. Ho-
rum gemitus & lacrymas, acuebat hinc vecturæ
penuria aut caritas, inde augescens aquarum tu-
mor. Multi enim elabebantur dies, quibus illæ
non minui, sed majoribus incrementis attolli vi-
sæ sunt. Et maximè versùs Urbem ipsam fere-
batur undarum impetus; partim pronò illas huc
invitante solo, partim ventis etiam propellenti-
bus. Et huc non aquæ tantum omnis vis, sed
& crustarum glacialium pondera ceu tormenta
quædam vel arietes illidebantur. Omni illi vi-
olentiæ receptaculum dabat fluvius noster, qui
alioquin mitis admodum & propè ad segnitiam
usq̃ lenis, exuebat tum naturam & præcipiti ali-
enæi rruentis aquæ rapiditate, celer fiebat. In-
flabatur verò eò usq̃, ut ripas tandem suas lon-
gè supergrederetur, portas ipsas invaderet, cel-
lasq̃ Urbis impleret, alicubi & vallum sollicita-
ret, inprimis verò bina civitatis suburbia occu-
paret, & ex ijs incolas expelleret. Pontis porrò
funda-

fundamenta crustarum, quas vehēbat, appulsu
quassare: Granarijs deniq; Urbis infundere se,
& post eneētam in agris inundatione istā sege-
tum spem, domi etiam parata victūs adminicu-
la attentare cœperat. Ingruenti malo ibatur,
obviam tūm Amplissimi Magistratūs curā con-
silioq; , tūm operā civium, quantum fieri un-
quam poterat. Erat enim, ubi superanti cala-
mitati manus dare cogebantur humanæ vires.
Et majora longè mala præcipiebant animis me-
tuendaq; civitati affirmabant prudentes; si Nu-
minis ira porrò pergeret sævire. Si enim ventus
à Septentrione insonuisset, qui fluminis cursum
in Urbem reflexurus erat, ingens & insuperabile
Urbi imminere discrimen judicabatur. Hinc
tantò magis illa etiam quæsitā subsidia, quibus
in humanæ imbecillitatis levamen cœlestis cle-
mentia solet advocari, Preces scilicet supplica-
tionesq; tūm privatæ, tūm publicæ. In quibus
cū crimina deplorarentur, quibus non hanc
tantum, sed & majorem pœnam meritos nos
confitebamur, orabatur simul Divinum Numen,
ut modum poneret iræ suæ, nec istas saltem ma-
jorum cladum minas erumpere sineret in effe-
ctum. Audivit cœlum suspiria & gemitus, &
nihil porrò tristius aquarum ferociæ in nos per-
misit.

6000

misit. Temperavit ventos, ut tum non tantum, unde ipsi vellemus, sed & nonnisi benigno flatu spirarent. Aëri mitiorem induit habitum; ut saltem desuper nihil adeò adversum experirentur, qui circa se omnia inimica videbant. Vnde minore noxâ se & sua in Urbem trajiciebant, qui hætenus sub ipsis domuum suarum tectis adhuc hæserant. Atq; aquæ ipsæ, cum antea maximam partem versus hæc moenia venissent præcipites, jam porrò alijs quoq; infra Urbem vijs, vento favente, in flumen & deinceps in lacum exonerabantur. Qui, quod mirum dictu est, totus adhuc glacie opertus stabat; duplex nobis periculum minans, ut aut aqvas non reciperet, aut glaciem tam suam, quam aliunde, atq; hinc etiam, demissam, vento impulsore, ad nos remitteret. Sed & hoc utrumq; malum, DEO dante, evitavimus. Nam & lacus, quamvis durum tegmen serò exueret, tamen sub tegmen etiam illud receptabat aqvas; & glacies ipsa suo tempore fracta, aversoq; hinc cursu aliò delapsa, citrà noxam imò & sensum nostrum contabuit. Coeterùm Vistula fluvius, præcipitantibus tum adhuc è Poloniâ aqvis, diu etiamnum alveis suis omnibus prætumidus ferebatur, & per factam aggeris lacunam plurimum aqvarum ad nos continuò

tinuò usq; urgebat. Unde, tametsi non jam porrò
 altiùs efferretur eluvies, non tamen etiam nisi len-
 tissimo subsidebat decremento: ita ut nec dum
 suburbia nostra à molestissimo hospite se possint
 expedire. In agris verò, quanquam exutâ priore
 ferociâ, stagnant tamen adhuc aquæ, & quantum
 conjici potest, multo sole & longâ temporis mo-
 râ opus erit, antequam tanta vis aquarum exhau-
 riatur. Nihilominus agrestium nonnullis se & pe-
 cus suum hinc in tuguria domosq; quantumvis
 aquâ adhuc undiq; circumfusas imò obseffas
 transportare, visum est: pabuli audio causâ; quod
 in Urbem identidem vehere cum tædeat, malu-
 ère jumenta denuò illuc, unde vix semel, nec si-
 ne multo labore demiserant, sub ædium scilicet
 tecta attollere, quò in eodem cum pabulo loco
 sint, vecturæq; adeò fiat compendium. Quod
 multis dissuadentibus factum utinam ne magno
 illis cedat infortunio! Ventorum equidem ludi-
 brijs exposuère se illi, qui his proximis diebus
 *præter modum moremq; violenti, in falo hoc
 nostro immanes cum dederint fluctus, ne multas
 domos proruerint, jure metuimus: certè multis
 periculum, omnibus ingentem metum attulère.

Coeterum damnorum, quæ hâc eluvione fa-
 cta sunt, nolo ego nec quæo inire calculum.

C

Neq; se inun-
 datio cœ-
 pisset.

* 4. 25. A-
 pril. atro-
 cissimè hi-
 venti de-
 prælia-
 bantur,
 27. autem
 April. ha-
 bita est
 Oratio
 hæc, cum
 integro
 antemen-
 se inun-
 datio cœ-
 pisset.

Neq; fortè rectius illa æstimaverimus, quàm si æsti-
mari non posse dicamus. Et certè verissimum est,
nec dum ipsos nos satis capere jacturam nostram.
Lento demùm sensu intelligetur: & tum se de-
niq; cladis hujus magnitudo aperiet, cum quæ
nunc conjuncta & confusa uno velut obtutu &
attonitis adhuc stupore oculis tramittimus, mem-
bratim & per partes secuturi dies magis magisq;
explicabunt. Equidem qui nuper ab Amplif-
simo Senatu, Præconsul & Consules, Viri sanè
gravissimi, ad lustrandam calamitatis hujus faci-
em missi sunt, multum dolenda & miseranda no-
bis omnia referunt: & nec satis se exprimere
posse miseræ, quàm vidère, magnitudinem fa-
tentur. Ivère hinc per arva prius segetibus vel
pascuis lætissima, & quæ vomis ante ducebatur,
quæ armenta, quæ greges saltitabant, hæc illos,
tertiâ post primam eruptionem hebdomade, pas-
sis velis, navigium travexit. Dicam amplius,
lithostrotum, seu aggerem, commoditati iter fa-
cientium lapidibus stratum, & multis cubitis su-
pra cœteram humum eminentem, illum inquam
aggerem penitùs non sensit, cum trajiceret lustra-
torum carina. Sepimenta altissima & quæ alia
ejusmodi antehàc accessum ad domos villasvè
prohibebant, prostrata aut aquis saltem operta,
ne

ne visabantur quidem. Ferebantur delegati per
Campestre illud æquor nihilo seciùs, quàm si in
vero aliquo mari navigarent. Raptabant jacta-
bantq; navigium venti, tollebantur fluctus vehe-
mente agitatione multâq; aspergine vehentibus
molesti, imò & periculum nonnunquam minan-
tes. Prætervehebantur vacuas hominibus casas:
curatissimas nuper domos ita jam non ostijs tan-
tùm, sed patulis undiq; lateribus pervias vide-
bant, ut cymba undiqvâq; adiri, atq; etiã subiri
possent. Quicquid laterum coctorum, more hujus
terræ, parietibus intersertum erat, aqua subluerat
dirueratq;. Horrea fluctibus tecto tenus propè
immerisa multos gemitus præternavigantibus ci-
ebant, cum cogitarent, quanta frugum copia,
quàm multa in hoc annonæ incendio necessaria
admodum alimenta inter illos parietes natarent
putrescerentq;. Iam quot cadavera pecudum
suffocatarum obvia habuere? quanti illorum
acervi ad tuguria, vel extantes alicubi altioris
terræ tumulos obhæserant, fætidi jam, & aërem
inficientes? quàm multa talia stabulis adhuc su-
is alligata circa præsepe suum, sed nullius jam pa-
buli indiga, visa sunt fluitare? Accessere ijdem
lustratores molem, cujus labe vitioq; omnis ista

calamitas terris his illata est. Videre illum
omnis oræ hujus custodem aggerem immani
quasi vulnere hiantem. Videre ejus velut artus
magni ponderis, miserè dispersos & circumsonan-
tibus undiq; aquis hic illic interjectos. Videre
fluvium ipsum mutasse cursum quodammodo, &
nusquam violentius ferri, quam illâ viâ, illo me-
atu, quem sibi, perruptis remoris omnibus, ad
nos aperuit. Videre hominem, qui ex Poloniâ ve-
niens, secundo flumine istud præceptis parvâ cym-
bâ prætervehi laborabat, diu multumq; luctantem
cum aquarum impetu, cum hic illum invitum &
omnes vires contra experientem à rectâ & usi-
tatâ viâ in hiatus hunc abripere conaretur. Et
eodem propè tempore alios, qui multis ratibus
seu schedijs connexis merces vehebant eandemq;
quam ille, viam insistere certabant, exsuperans
fluminis vis unâ cum mercibus suis in Urbem
nostram devexit. Qui jam sub mœnibus nostris
stantes mirantur insolitam viam, quâ venere, &
civibus nostris, qui nunquam simile quid videre,
inuitato sunt spectaculo. Coeterum à fu-
nestâ illâ lacunâ progressi lustratores videre ali-
bi similis & propè majoris hiatus imminens dis-
crimen. Videre locum, ubi aggerem denuò sed
per cuniculos molitur flumen; ubi & magnam
ejus

ejus partem jam subruit; adeò ut infisti jam ag-
geri citrà terrorem vix possit. Desudat istic
continuus agricolarum labor, ut auxilium affe-
ratur, & nova fulcra dentur novam his terris rui-
nam minanti loco. Nos DEo supplicamus, ut ipse
consilium viresq; suppeditet laborantibus. Ille
est enim, qvi frena rerum omnium & naturæ to-
tius versat tractatq; pro libitu suo. Ille coërce-
re aqvarum impetus potest, ille emittere cùm
ei placuit. Unde & hujus, qvam nunc patimur
qverimurq;, eluvionis primus fons non alibi,
qvam in coelis qvarendus est nobis. Manus Di-
vina est, à qvâ ictus iste venit. Hanc agnosce-
re, hanc sentire & venerari nostrum est. Felix
nobis ipsa hæc infelicitas fiet, si eâ rectè, id est
ad animi submissionem & ad vitæ mores emen-
dandos utemur.

Luxuriarunt multi inter prolixiora faventis
fortunæ blandimenta. Abusi sunt sæpè bonis
istis, qvæ terra in usum nostrum parere jussa est.
Monstrare itaq; jam voluit DEus, quàm facilè
nobis subtrahere possit illa, qvibus genio deliciæ
fieri, qvibus ventres saginari consuevère. Feli-
ces nos, si flagellantis nos DEI mentem intelli-
mus, si non perit illi in nobis poenarum suarum
fructus. Peribit verò, si nihilo meliores post fla-
gellum.

gellum fuerimus. Unde vehementius inardescet
divina indignatio, & gravioribus nos supplicijs
persequetur. Equidem nolim ego tristibus aut
incertis augurijs vel me vel alios terrere; sed so-
lent ejusmodi inundationes præludia esse alia-
rum calamitatum. Nec immeritò ad alia etiam
flumina trahi possit: quod de Tiberi Plinius:
Vates, inquit, *quodammodo intelligitur ac monitor, auctu
semper religiosus.* Et de eodem fluvio Tacitus noster:
*Præcipuus & cum præsentis exitio, futuri etiam pavor (erat)
subitâ inundatione Tiberis.* Sciunt rerum periti, rarò
singulas venire ejusmodi calamitates. Plerumq;
comites habent, aut pedissequas. Ut plurimum
alia aliam trudit; ut unda undam. Imò alia ex
aliâ nascitur, & fœcunda plerumq; est hæc ma-
lorum lerna. Solent aquas ejusmodi bella se-
qui, solet fames, solet pestilentia. Sed nos
meliora malum ominari: & jam à calamitate
præsentis ad publicam, nec terræ tantum hujus,
sed & aliarum, nec unius aut alterius seculi, sed
& plurium, atq; etiam vetustissimorum nos con-
vertimus. Fateor verò me mali istius nostri oc-
casione in antiquitatis memoriam regressum,
quæ olim similia Orbi flagella hic illic DEus im-
miserit, vestigasse. Ac cum semel hoc mare
ingressus sum, tantâ me diluviorum atq; inun-
dationum

dationum circumdari multitudine sensi, ut retrò ferre pedem, quàm proferre putaverim satius.

Et nunc sane non effugerem fortè fastidium, si uno protelo quæ conquisita habeo, in medium producere insisterem: plura scilicet numero, & alicubi Criticis etiam excursibus latius evagantia, hic certè vel ob ipsas Authorum allegationes, haud parem apud omnes gratiam initura. Compendio itaq; nunc tantùm per rerum ibo fastigia, & eorum quæ collecta in aliud tempus reservo, summa duntaxat capita brevissimè perstringam. Ac primæ quidem antiquitatis istic replicanti annales, & diluvia perscrutanti omnia, primo omnium occurrit Noachinum; cognitissimum e quidem omnibus, minimè tamen in isto argumento versanti omittendum, cum nullum eo vetustius, vel certius, vel deniq; majus graviusq; reperiatur. Nullum vetustius inquam; nam id ante annos plusquam ter mille contigit, adeò ut ad id historiæ gentilium vix ullæ pertingant, ultra quidem nulla protendatur, præter sacram, quæ ad ipsa scilicet prima mundi incunabula se exporrigit. Doctissimus Romanorum Varro tempus id, quod Diluvium antecessit, ἀδελον seu ignotum vocat. Ita enim de illo Censorinus in libello de die Natali: *Varro, inquit,*
trita

tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam ἀδηλον vocatur. Secundum à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur, μυσικὸν id est fabulosum nominatur. Tertium à primâ Olympiade ad nos, quod dicitur historicum, quia in eo res gestæ veris historiis recensentur: Haftenus Censorinus. Non longè verò hinc abit vetus illa domûs Eliæ traditio, quæ id tempus, quod à Varrone ignotum dicitur, Inane vocat: nisi quod Inani isti duo millia annorum in traditione illâ tribuantur, magnum verò Cataclysmum non nisi anni à condito mundo mille sexcenti quinquaginta sex antecesserint. Unde, ut hoc obiter addam, nonnullis temporum disputatoribus conjectura incidit, totidem annis à nato Servatore duraturum Orbem. Quod si ita est, non amplius quinquennio à fine mundi absumus, & secundum horum quidem calculum, agonisat jam rerum natura. Ego tabulas fatorum, Angelis ipsis ignotas, humanis conjecturis haud temerè atrectandas arbitror, fatius esse ducens, omni die extremum rerum terminum expectare, quàm audaculis ejusmodi definitionibus suspendere animos ac ludificari.

Sed ad rem, unde digressus sum, redeo. Dixi Noachino diluvio nullum certius esse. Nam id Moses, vir, omnium nostrum, & nonnullorum etiam.

etiam gentilium confessione, divinus, non so-
lâ traditione præviâ, sed cœlesti inspiratione pro-
didit nobis. Et ejus vestigia quæquam con-
fusiora & multo additamentorum figmento-
rumq; velut sabulo opplera apud Berosum,
Abydenum, Lucianum, Molonem, Nicolaum
Damascenum, viri docti ostendunt; sed & um-
bras ejus aliquas apud ipsos Americanos, homi-
nes omnium fingendi artificiorum rudes, super-
stites esse memorant, qui ejus gentis historiam
condidère. Nullum deniq; sacro illo majus
graviusvè fuit diluvium. Nam cum cœtera
partem aliquam Orbis, quædam & vix territo-
rium aliquod aut Oppidum, attentaverint, illud
Orbem universum pervasit, merfitq; paucis dun-
taxat hominum animaliumq; servatis in spem,
ac seminium reparationis. Cùm à Sacræ hi-
storiæ annalibus discedimus, non pauca equi-
dem alia videmus celebrari diluvia; sed duo in-
primis decantatissima sunt, ac pro maximis ven-
ditantur, Ogygium & Deucalioneum. At ut
verum fateamur, in utroq; illo sacri nostri Di-
luvij, de quo locuti sumus, lineamenta apparent:
neq; fugit illos ratio, qui sub istis mendacis
Græciæ larvis, Mosaicam Cataclysmi historiam
latere arbitrantur. Quod in illâ nostrâ de Di-
D luvijis

luvijs exiguâ diatribe clarius demonstratum, hic
nolumus sub trutinam revocare. Facit porrò
Ægyptij cujusdam Diluvij mentionem Diodo-
rus Siculus: sed & illud ex Noachinæ historiæ
rueribus esse accuratè demonstrat Oceanus ille
antiquitatis, Gerardus Vossius in de Gentium
Idololatriâ libro. A magno Diluvio, & cœ-
teris, quæ magni illius falsam speciem induere,
ad minora, sed notæ & fidæ satis vetustatis,
certiorisq; adeò literarum gentilium monu-
mentis consignata, istic descendimus: initio
sumpto ab ijs, quibus Oceanus ipse terris se in-
fudit. Ubi ex Plinio & alijs catalogus strui-
tur Urbium terrarumq; quas Pelagi aquæ vel
obruerint, ne terræ amplius sint, vel Insulas fe-
cerint, cum continentes ante essent. Refer-
tur ex Ammiano Marcellino, quomodo, sub
Valente Imperatore, mare post terræ motum
fluctibus retrò evolutis longè recesserit; non
multò verò post refluxum, subito multa homi-
num millia submerferit; & in Vrbe Alexandriâ
plurimas naves tectorum illiserit culminibus.
Memoratur istic à nobis Siculi maris tempestas,
quæ duodecim millia hominum; memoratur
Constantinopolitana, quæ plusquam tredecim
millia, superiori seculo, absumpsit. Non est
quoq;

quoque silentio. tramissa Anglica maris eluvio,
quam anno millesimo sexcentesimo septimo ad
Bristoliam & loca circumjecta factam præclarus
fidei Historicus, & verè nostri temporis Livius,
Thuanus describit. Sed imprimis aliquam-mul-
tæ afferuntur eluviones, quibus provincias Bel-
gicas, Flandriam, Zelandiam, potissimum verò
Hollandiam & Frisiam, Oceanus afflixit: imprimis
illa, qua non procul Dordraco septuaginta duos
pagos dirum maris barathrum absorpsit.

A mari deinde in fluvios devenimus; angu-
stiora eqvidem. Aqvarum regna, sed sæpè &
ipsa provincijs multum formidolosa & funesta.
Ac furiosum eorum impetum violentiamque, Po-
etarum primum coloribus depictam quodam-
modo dedimus, qui in hoc quasi campo exul-
tantissimè subinde luxuriant, & efficacissimas
hinc petere solent similitudines. Quarum en
specimen, ex Virgilio:

*Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exijt, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. — —*

Si lubet Statium quoque audite:

*Vt rapidus torrens, animos cū verna ministrans
Flumina, & exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos, frustra prohibentibus exiit
Obiicibus, resonant permixto turbine tecta
Arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto
Colle minor, magnoq; invenit in aggere ripas.*

Porro autem illic ab excursu Poëtico reversi,
& singulatim fluviorum eluvia memoraturi à Ti-
beri ordimur, quem Orbis Domina Urbs nullis
repagulis aut objectamentis ita unquam coërce-
re potuit, quin subinde terrorem cladesq; ingen-
tes illis Romuli mœnibus inferret. Damus
ejus rei illustria aliquot specimina ex antiquis no-
visq; Scriptoribus, Livio, Plinio utroq; , Aurelio
Victore, Gvicciardino & alijs. In Germaniâ de-
inde Rheni, Albis, in Galliâ Sequanæ, Ara-
ris, Rhodani, Ligeris eruptiones commemo-
ramus.

Tandem verò ex illa per terras longinquas
evagatione domum quasi revertimur, & quid
Regno huic nimia aquarum incrementa damno-
rum identidem dederint, narramus. Refer-
tur scilicet, Boleslao Crivousto illa, cum in Pru-
tenos & Pomeranos arma pararet, remoram
olim injecisse. Eadem sub Lesco Albo, famis
ac pestilitatis non præsagia tantum Polonis, sed
& cau-

& causas exstitisse. Tristissimum ab illis sub Bo-
lao Pudico cumulum accessisse magnis & hor-
rendis calamitatibus, quibus tūm Polonia con-
flictata est, Tartaricis imprimis procellis tantum
non in extrema præcipitantibus nobilissimam
provinciarum. Sub Casimiro quoq; Tertio,
magno illo Prussiæ liberatore, superbum aquis
Vistulam metropoli Regni adè insultasse, ut
alicubi ad altaria templorum pertingeret. De-
niq; è Poloniâ cum Vistulâ in Prussiam delabi-
mur; ibi finituri, ubi fluvius desinit; & ubi
is, quò ab Ostio suo propiùs abest, tanto ma-
jores dat turbas, nusquam scilicet voracior, quàm
ubi in eo est, ut in mare Balthicum evolvatur.
Non pauca equidem ejus fluminis in his terris
data facinora ex editis Prussorum Chronicis ibi
enarramus; nonnulla etiam ex non editis homi-
num fide dignorum monumentis adjicimus.
Omnia & agenda & limanda accuratiùs, nisi
vel negotia majora avocârint, vel judicia alio-
rum deterruerint. Non est equidem is cam-
pus, qui vel eloquentiæ flosculos capiat vel libe-
riora ingenio explicando aperiat spatia. Indu-
striæ duntaxat & judicio aliquantulum in tali-
bus relinquitur loci. Et in ijs scilicet ille opti-
mè officium suum explevit, qui quam plurima
D 3 & non

& non sublestæ veritatis monumenta & habuit
& excussit diligenter. Gloriæ quidem ex ta-
libus nihil sperari potest, benè habet, cum ca-
villi effugiuntur. Spernitur etenim plerumq̃;
ejusmodi collectorum labor, & quia non sua
afferat, nihil meruisse judicatur. Sed meo
ipsius sensu parvum id & pertenuè erit, quic-
quid erit opellæ; adeòq̃ ipsa exilitate sua fal-
let spero effugietq̃; invidiam. Neq̃; nunc
quidem merebatur, de quo tot facerem verba:
& jure jam incipio vereri, ne ante brevissimam
& pauperrimam cænam magnum nimis fumum
excitasse videamur. Quare & his relictis, &
Orationis ipsius cursu inhibito, metam jam re-
spicio. Finiturus autem haud pulchriorem
colophonem invenire mihi potuisse videor,
quàm si hic vobis, meis verbis, ex Gallico idio-
mate traductam dissertatiunculam Petri Mat-
thæi nobilis Historici subjiciam: qui ubi inun-
dationem Tiberis Anno millesimo quingente-
simo nonagesimo octavo Romæ factam narra-
set, ita porrò philosophatur:

Imputatur, inquit, hæc inundatio Austris,
qui crebris concitis imbribus Tiberim adeò tu-
midum effecerint. Sed cur ea naturalibus po-
tius

tius causis tribuitur, quàm commotæ DEI iracundia, quæ jam olim in universum Orbem ob scelera, nostris vix propè majora, similibus poenis efferbuit? Verè Diaboli artificium est, nos non secus atq; olim Ionam navigantem in nescio quam securitatem soporantis, ne scilicet agnoscamus, nos esse illos, qui motis ejusmodi tempestatibus petantur. Idem nequam Spiritus bonitatis & clementiæ Divinæ ostentatione quasi palpo adulatur nobis, ne tremiscamus, cum prodigia ejusmodi videmus; præcursores verè & quasi venienti Justitiæ divinæ hospitium metantes prodromos. Ille improborum prosperas res, ille adversas bonorum nobis objicit monstratq;, ut conspicati, Solem sceleratis etiam atq; Atheis oriri, & æquè secundo cursu Piratas vehi, quàm qui religionis ergò peregrinationes suscipiunt, malis inde devijsq; judicijs, omnia casui tribuamus & fortunæ. Certè utcunq; intelligamus, odoremur, oculis usurpemus impendentes poenarum ictus, nescio quæ tamen animorum perversitas nos recti sensûs adeò expertes reddit, ut causas calamitatum turbato potius naturæ ordini, quàm morum nostrorum dissolutioni adscribere malimus. Tremic Ferraria, Italiae
Urbs,

Urbs, & intra quadraginta horas, centies qua-
dragesies redit terræ trepidantis horror. Haud
tamen plaga illa laceffentibus divinam Neme-
sin corruptæ Urbis vitijs, sed scilicet fitui Civi-
tatis, ventis subterraneis, Peninsulæ aquis abun-
danti, solo poroso & cavernis multis hianti im-
pingitur. Flagellat Africam fames, adeò dira,
ut homines bestiaeq; sui generis sanguinisq; vi-
scera appetant in alimentum. Non tribuitur
id Iustitiæ Divinæ, cœlum æneum flagitiosis ho-
minibus minanti, sed nempè intra siccitatem &
Solis ardores consistunt illi, qui causas scrutan-
tur. Pestis depopulabatur Venetias, uligini palu-
dum assignatur malum. Eadem Parisios vastat,
incusantur sordes & purgamenta plateis inna-
tantia: Eadem illa Lugduni grassatur, illata
dicitur à factoribus & laneonibus. Gallia to-
ta seditionibus, factionibus, rebellionibus ardet.
Scalpit quisq; cerebrum, ut causas reperiat: ne-
mo flagellum D E I esse confitetur, quo Regna
& Respublicæ soleant castigari. Tiberis tanto
se impetu in Romam infuderat, ut metus esset,
ne Urbem submergeret, nemo tamen cogitat,
enormitate scelerum excitam calamitatem. An-
tiqva profectò Roma melius sapiebat. Cæsa-
re bellum Civile ordiente quisq; perversum re-
gimen

gimen agnoscebat, & Rempupl: Romæ desijisse
qværebatur. Veniente illuc Attilâ, probi
omnes seculi sui detestabilem faciem deplora-
bant. Accusemus nos quoq; nostri injustiti-
am impietatemq; seculi, & excandescenti Di-
vinæ justitiæ obviam eamus. Si primi ictus
non penetrant, non sentiuntur, ultimi debebunt.

Cum ranæ, muscæ, scarabæi, pulices Ægy-
ptum non emendarent, successere im-
maniores plagæ, & deniq; ex-
trema omnium,
occidio.



Enumeratio pagorum ad Elbingam,
& in Insulâ Mariæburgensi utrâq; sitorum,
qui alij alijs magis diutiusq; aquis immerſi,
omnes magnis damnis hâc inunda-
tione affecti ſunt.

D Erbswald / Kerbshorſt / Wicſeraw / Sop-
penaw / Ellernwald / Michbuden / cum
adjacentibus pratis & pascuis omnibus.

Eſchenhorſt / Marcushoff / Kampenaw / Brots-
ende / Kranesneſt / Wengeln / Schwans-
dorff / Tiendorff / & quicquid ad Drufium
lacum.

Grunaw / Thiergarten / Roſengarten / Preuſch-
Königsdorff / Fiſchaw / Sommeraw.

Janckendorff / Brunaw / Tienort / Kalthers-
berg / Fürſtenwerder / Mänſterberg / Beers-
walde / Schöberg / Schönſee / Pigkers-
dorff / Orloff / Platenhoff / Fürſtenaw /
Groß vnd Klein Mauſdorff /
Horſt / Rickenaw.







Lf 232


ULB Halle 3
004 185 404



f
sb.


1077
Tux





12





Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO
INDATI-

nprimis illâ,

NO M. DC. LI.

m Æquinoctium

gam. in Prusfiâ

ncigic.

Typis CORELLIANIS.

M. DC. LI.

6

